QUÆSTIO MEDICA,

QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS MANE' DISCUTIENDA IN SCHOLIS MEDICORUM,

Die Jovis vigesimâ quintâ Junii 1711.

M. PETRO LE TONNELLIER, Doctore Medico, Præside.

An sequi Naturam ducem, saluberrimum?

I.

NATURA, vox ambigua & multiplex ab omnibus sæpiùs usurpata, à paucis comprehensa. Hanc Philosophi deducunt in communem & propriam; prima, vis est quædam admirabilis, quæ omnia pervadit, administrat omnia, ut communis mater, causa, principium, divina ratio toti mundo partibusque ejus inserta: divinam, si velis, nuncupaveris artem, cujus solertiam ars nulla, nulla manus, nemo opifex consequi possit imitando. Huic illud proprium est, ut in ipsâ simul inveniatur materia ex quâ quæque res efficiatur, & vis illa quæ quidque efficiat. Hanc cùm infinitæ sit sapientiæ, providentiæque, sic sapientissimam esse par est, immò divinam providentiam, sapientiamque, Deum ipsum opificem rectoremque universi. Quod si quid aliud à Deo sit Natura illa universalis, Dei quasi Vicarius habeatur, qui, ut cuncta gignantur, principia subministrat; unde à gignendo φύσις, ut, à nascendo, Natura: Ab universali singularis emanat, ut à fonte rivus, à trunco ramus, à matre soboles. Hæc originis suæ retinens solertiam sapientiamque, singulis rebus propria ést, mineralibus, metallis, stirpibus, animalibus, verbo dicam, unicuique in quo est principium & causa motûs, ac quietis. Difficile dictu, an ignis sit artificiosus, actuosus, æthereus, unde prodeunt, continuantur, absolvuntur motus omnes ad vitam necessarii, æquabiles, constantes, generationis, incrementi, perfectionis;

an verò temperies quædam, & energia, ex solidorum dispositione, fluidorum indole, mutuâque inter se proportione; an motûs certa quantitas, certa determinatio, partiumque figura censeri debeat; an hæc omnia simul. Quidquid sit, illam esse demonstrare qui tentat, ridiculum tentat. Singula quæque ita constituit, ut per eam à cæteris maximè differant. Privata rei cujusque Natura, cùm divinam originem agnoscat, sapientissima est, vel potiùs à publicâ semper & ubique agente, privata semper & ubique dirigitur & adjuvatur. Utraque igitur una & multiplex, propria & communis, simplex & multiformis, Protæum rectè dixeris. Ne hominem utrâque defectum existimes, aut alterutrâ. In eo tamquam in sacrario ambæ conjunguntur amico fœdere, societate operum ita devinctæ, ut non ampliùs geminæ. Hæc igitur Natura, cùm sapientissima sit, sapientissimè hominem condidit, omnesque ejus actiones ita dirigit, ut istâ duce nemo possit aberrare. Ex eodem luto majores nostros genuit, nos deinde, atque alios; illâ vehimur omnes.

II.

QUISQUIS mortalium vis scire Naturam, ubi, & quid agat? observa earum omnium, quas suo complexu mundus coërcet, rerum minimas, maximas, quaslibet; ubique se ostendet suis signis. Studes compendio? te unum inspice, nosce teipsum, sed intus & in cute; satis superque erit ut possis nosse opus Naturæ esse opus Intelligentiæ sapientissimæ. In homine, ut parte totius universi pulchriore, perfectiore, diviniore, omnes illa suas contulit divitias, seipsam veluti exhausit. Ita Naturam homo nactus benigniorem matrem, ut omnium animantium formam vincit, sic tenet principatum: id huic illa dedit amplius, quod rationem addidit, quâ, si non Deo æqualis, saltem ejus imago videatur. Quæ fuit Naturæ cura, studium, sollicitudo ergà hominem! Is omnia sua illi debet, cum sanus est; quàm plurima debiturus, si æger convalescat. Illinc à primo ortu eas habet res quas Medici naturales vocant: his constat & durat; quas quidquid immutat, depravat, evertit, contrà naturam esse censendum est. Ibi hæc reluctans obsistit pro viribus, nunquam detrectatura certamen, opus suum ne quid capiat detrimenti. Quæ verò res inter naturales, & eas, quæ contrà naturam dicuntur, mediæ sunt, Naturâ ipsâ bonæ, abusu tantùm malæ. Quàm artificiosa eadem Natura sit, ad hominis conformationem attende. Hujus tota fabricatio perfecta est, solers subtilisque descriptio partium, eximia constructio membrorum; subjectorum ossium mirabiles commissuræ, ad stabilitatem aptæ, ad finiendos artus accommodatæ, ad motum, ad omnem corporis actionem; nervorum toto corpore

pertinentium mirabilis complicatio ; venarum arteriarumque singularis unitas, undè tractæ, eodem profectæ ; earumdem innumerabilis multitudo, ubi desinere videntur, extremis etiam partibus intextæ, ac tandem in se ipsas incurvatæ. Solidorum & fluidorum mira motûs reciprocatio, mirum æquilibrium, omnium denique è quibus constamus temperatio tam concinna, tam elegans ordo, ut nihil ad usum melius, ad speciem pulchrius esse possit ; aut si quid hac lege alienum videatur, nunquam præter naturam, sed præter naturæ consuetudinem. Eruditam esse Naturam dubitas ? Infantes pueros considera, quàm blando labrorum linguæque motu lac sugant è mammis; facilè divinabis hos illud edoctos esse ab optimâ magistrâ. Perge ad alteram ætatem, mirare pubertatis stupendas & subitas mutationes. An eadem Natura justissima meritò censenda est, cum incrementi modum in animalibus statuit & certos fines, quos ultrà, citràque nequit consistere rectum ? Nonne, hæc ut servet, illius sapientia est providentiaque sagacissima, cum cibi cupiditatem & potûs ingeneravit, ut coctione eorum, atque commutatione, distributioneque factâ, quod effluit resarciretur ; ob id etiam somni vigiliæque necessarias vices concessit ; ejusdem industriâ cibi reliquiæ depelluntur per imam excrementorum viam, cùm astringentibus se intestinis, tùm relaxantibus : potus verò, humoribus iis qui ex renibus & vesicâ profunduntur, ejectis aliis sordibus per insensiles cutis meatus extrà corporis pomœria. Quis Naturæ divinitatem quamdam & vim admirabilem denegare poterit in functionibus animæ edendis, perficiendis ? Hinc animi celeres motus, ad excogitandum acuti, ad explicandum, ornandumque uberes, ad memoriam firmi, diuturni, ad omnem denique virtutem naturalem, etiam moralem accommodati ; ideò Natura tam blanda conciliatrix, & sui quasi lena, cujus tanta vis est, ut nemo homo velit nisi homini similis esse. Sic consultrix & provida Natura utilitatum, opportunitatumque omnium quibus servari sanus quàm diutissimè possit, & æger quàm citissimè restitui sanitati. Hinc prodigiosa illius calliditas, potentia (dolum dicas an virtutem) ut à morbis redimat. An ideò primus illa audit jure morborum medicus, cum tutò, celeriter, jucundè curet ? nihil temerè agens, nihil supervacaneum, nihil nimium, nusquàm cessans, ubique sufficiens, nec deficiens uspiam ; quæ, nisi vias invenit, facit, quibus, vel aperto marte, vel insidiis certis, statisque periodis dierum, hebdomadum, mensium, annorum, infensum hostem à vitæ laribus longè propellit, operatâ priùs coctione, separatione, quàm evacuationem machinetur. Sapientis Naturæ isthæc sunt opera, ut vitam sensumque totius & partis foveat, tueatur, sustentet.

296

III.

TANTI esse vitam quis putat sedulò, ut tot constare beneficiis Naturæ existimet, tot indigere credat ad sui conservationem? Illa, Naturæ depositum pretiosissimum, quod uti nobis initium omnium rerum, bonorum, cum ortu nostro affert; sic exitum, mors. Illam qui servare potest quàm diutissimè sanam, hanc retardare, sapiens sit necesse est: vitæ ideò dux quàm optimus, qui ei semper præsideat, eam regat, qui ne momento quidem abesse possit aut debeat; id facit tamdiù, quamdiù societatem corporis aut animæ retinet. Hæc stat donec convenientia est corporis cum animâ, finitur eadem interitu; qui discessus est diremptusque earum partium, quæ ante interitum junctione aliquâ tenebantur. Vitæ spatium variis ætatibus distinguitur ad quadripartita anni tempora accommodatis. Illarum etsi diversarum unus est cursus, via una Naturæ, eaque simplex: sua tamen cuique tempestivitas data, unde ut magis infirmitas puerorum, ferocitas juvenum, gravitas constantis ætatis, sic senectutis maturitas, naturale quiddam habet, quod suo tempore percipi debeat. Hæc ut plus Naturæ debet quàm ulla quævis ætas, sic & sua aliarumque omnia reddit: hanc itaque mors excipit, sed naturalis; mori siquidem natura est, cum expletur vita satietate vivendi, definitque sine dolore, molestiâ. Aliter judicandum de eâ quæ ut funus infert acerbum, sic violenta ferè & contra naturam est, quæ ut vitæ contraria, sic altera ejusdem terminus est & ultima rerum linea. Ut altera fugienda fugandaque omni industriâ sic altera placidè expectanda, nec metuenda, nec optanda. Ut alterâ præciditur conjunctio utriusque naturæ corporis & animi; sic alterâ diffuitur sensim. Hoc modo bis-puero clauditur, cui semel puero eâdem ferè ratione contigit; tam similis est ratio ortûs & exitûs: cum utrimque nullarum ferè rerum nec doloris sensus. Pueri tùm vita incipit intra uterum, cùm primo conceptionis instanti actuosæ seminis partes (spiritum genitorem dicas si velis) prima embryonis rudimenta aggrediuntur, & in durâ meninge elasticum motum excitant. Annexa hæc membrana basi solidæ cranii impressum sibi motum servat & elateris ad instar, nunc se contrahens, nunc verò relaxata ordinatos systoles atque diastoles motus edit. Oscillans itaque alternis ictibus, blandè cerebrum premit, spiritus animales inibi inclusos exprimit, primò in medullam oblongatam, deinde in spinalem, tum in nervos, denique in universam fibrarum compagem. A fibris itaque duræ meningis, quibus & cor & musculi moventur, quasi ad nutum oscillantibus, liquida corporis huc illuc circumferuntur; ab antiquâ nobilitate, partiumque primatu meritò nunc ex-

cidit cor, cui principatum in microcosmo error olim tribuerat hominum, non Natura. Nobilitatis indicium in durâ meninge, subditarum partium, vel etiam cordis obsequentia, quæ omnes, si lædatur, læduntur & ipsæ; non autem vice versâ. Vita sic à solidis inchoata, fluidis fovetur. Sed quid sit vita quæris? attende ad solidas & fluidas partes, ex quibus humanum corpus constat. Solidas vide assiduè oscillantes, motum inter se æquabiliter reciprocum, humorum commolitionem, eorumque cursum indesinenter promoventes; fluidas considera perenni circuitu motas, jugi triturâ attenuatas; perpende ut extremas corporis fibras subeunt, canales vel tenuissimos alluunt, per glandularum colatoria secernuntur, per emunctoria quæcunque vel cutis poros excernuntur. Nonne vitam dicas reciprocum solidorum & fluidorum motum? Quibus tamen vita constituitur, iisdem servari non potest sine externis quibusdam adjumentis, cibo, potione, spiritu; horum communis ingressus, os, hujus etiam, nares, unde per asperam arteriam ad pulmones via est. Statim atque infans extrà uterum spiritum trahit, tunc propriâ vitâ vivere dicitur, qui priùs alienâ, seu matris vitâ vivere videbatur. In pulmones enim recens nati illapsus aër sanguinem in pulmonibus tantummodo maternis perfectum, tunc in ejus proprio sinu attenuat, expandit ac perficit. Cibus & potio per gulam demittuntur in ventriculum; ubi sufficienti morâ, ventriculi fermento & motu subacti, in succum cremori similem mutantur, tenuia deinde subeunt intestina, lactea vasa permeant, unde ad cor & pulmones transmittuntur, jam jam in sanguinem convertendi, spirituum, & cæterorum succorum originem & promptuarium. Ab his exordiis vita pendet, his filis ducitur; quæ si rumpi contingat, hinc subitæ mortes atque intestata senectus. Non aliunde igitur consensio omnium conspiratioque petenda quàm ab æquabili fibrarum oscillatione, assiduo succorum circuitu; quibus vita servatur, motus & sensus vigent, omnes actiones peraguntur. Quæ cùm infinitæ sapientiæ & scientiæ sint opera, non nisi ab eâdem sapientiâ conservari possunt.

IV.

SUMMA humanæ vitæ felicitas, quæ sanitas est, ut absolutâ functionum animæ & corporis integritate dignoscitur, sic & definitur. Illud enim fuit Naturæ institutum, ut mens & corpus, tametsi res longè dissimiles, strictè tamen consociarentur, atque inter se vincirentur eâ lege, ut mens operationes suas, nisi mediante corpore ut instrumento, exercere non posset, immò non ageret nisi quantùm à corpore ad actionem determinaretur; ut quodcumque afficeret corpus, prout ad ejus conservationem vel detrimentum tenderet;

illud idem pariter mentem voluptatis vel doloris ſenſu afficeret. Prout igitur corpus benè vel malè affectum eſt, ſic mens benè vel malè afficitur. Hinc ingeniorum miræ varietates atque morum; hinc rarò occurrit mens ſana niſi in corpore ſano. Voluptas igitur & dolor à naturâ inſtituta ſunt, ut homo his ſenſationibus ad ea quæ ejus vitam non modò fovent, ſed ſanam & jucundam efficiunt, impellatur; ab iis verò quæ vitam adimere poſſunt, vel bonam valetudinem lædere, amoveatur. Hoc ſapientiſſimo Naturæ inſtituto, non niſi ratione depravatâ abutimur. Ut corpus vivens eſt, dum perſeverat motus ſolidarum partium & fluidarum reciprocus; ſic ſanum dicitur, cùm, ex parte ſolidarum, æquabilis eſt fibrarum oſcillatio; ex parte fluidorum, ſumma fluxilitas, nec interrupta ſecretio. Sanitas autem ſex rerum quas Hygiene complectitur uſu moderato, & ad Naturæ nutum diſpenſato conſervatur. Aër exquiſitè temperatus, nec tenuior nec craſſior, ſanguinis conſiſtentiam tenuiorem efficit, circularem ejus motum promovet, eumque aptiorem reddit ad ſpiritus animales ſuppeditandos. Cibus potuſve moderatus & unicuique congruens, jacturam ſolidarum liquidarumque partium affinibus particulis, diſpari tamen ratione reſtituit. Lenis & blanda corporis exercitatio ſpiritus torpentes exſuſcitat, tardiorem ſanguinis motum adauget, humorum ad ſecretionem, inſenſilem perſpirationem mirè confert. Tranquilla corporis & animi quies utriuſque vires recreat; ſpiritus celeriter effluentes pleniùs per ſomnum in ſuis ergaſtulis coacervati ad officia alacriùs redeunt: exhauſtum diuturnis excubiis corporis robur ſomno reficitur, & perennis ſubſtantiæ noſtræ deperditio utcumque cohibetur. Quæ debent excerni non impunè retinentur, nec excernuntur retinenda. His in rebus Naturæ monitis diligenter auſculta, jubenti parere ne recuſes, nec eam ſilentem irrites: Natura enim non deficit in neceſſariis, non abundat in ſuperfluis. Animi pathemata non minùs ſapienter à Naturâ hominibus ad eorum ſalutem conceſſa fuère, omnibus quippe rebus dedit fœcunda virtutum ſemina; ſic ira ad fortiter reſiſtendum periculis, timor ad ea fugienda, mœror & lacrymæ ad cæterorum commiſerationem excitandam, opem extorquendam, gaudium ad bonum corporis ſtatum percipiendum & conſervandum, amor ad hominum ſpeciem propagandam. Hæc omnia homini non infenſa, imò maximè ſalutaria. Si quis, diſſimulatis tot bonis, queritur quod quædam homini noxia; perindè facit, ac qui Nilum frugiferum calomniatur, quòd Crocodilum nutriat; nec poſtea velit frui prognatis frugibus, ſed tantùm queratur de venenis. Quomodocumque lædatur ſanitas, ad eam reſtituendam homo Naturâ ſemper indiget, ſæpè &

arte. Ars Naturam imitatur operando; citrà Naturæ concurrentis auxilium fruſtranea eſt Medici cura, & inutilis labor. Leges Naturæ fundamenta Medicinæ: hæc illius interpres & miniſtra. Medicus in Naturæ contemplatione exercitatiſſimus ſit, non ſolùm earum rerum quæ vel prodeſſe poſſunt, vel obeſſe, indolem & temperiem perfectè cognoſcat; ſed etiam ad uniuſcujuſque ægrotantis Naturam reſpiciat, cùm varia ſit, vel ſui per ſe, vel ætatis, vel ſexûs; nempè trahit ſua quemque voluptas, quiſque ſuos patitur Manes. Huic ille cibus ſanitatem cuſtodit, qui in alio crearet morbum; an ideò deterior paulò, ſed ſuavior, melioribus, ſi minùs gratis, alimentis eſt præferendus. Similiter non omnibus annis omnia conveniunt, ut beata laudabiliſque ſit cujuſque vita. Sic quæ hominem ſapientiſſimè condidit Natura, eundem ſapientiſſimè conſervat, & ſummâ cum prudentiâ ac ſapientiâ ſaluberrimum efficit.

V.

ANIMAL quodcumque, ſtatim atque natum eſt, hanc à Naturâ appetitionem, declinationemque accipit, & ſenſum rerum, aut utilium, aut noxiarum, quibus duci ſe patiuntur cæteræ animantes. An idcircò rariùs ægrotent quàm homines, & leviùs? An iiſdem commodis fruebantur recentes ab ortu mundi mortales, atque ut diutiùs viverent, quià nondum Natura arti ceſſerat, nec frugalitas luxuriæ, nec neceſſitas voluptati. Tunc vivebatur parvo benè, dum ex Naturæ legibus vivebatur. Hæc, licèt opulenta, ſemper, & ubique ſignificat, quàm paucis, quàm parvis rebus egeat, quàm vilibus. In quantum ſitis, atque fames, & frigora poſcunt; ad hæc nemo pauper eſt. Divitias, illâ quibus contenta eſt, homini ſæpè ſatis non eſt, qui ſolus animantium terrâ paſcitur & mari, ut meritò παμφάγος audiat. Hominis illud, non Naturæ, vitium eſt, proclivia negligere, ſimplicem cibum, & optimum non admittere, panem, & aquam reſpuere, quæ ad vitam ſervandam ſufficiant: contrà proſequi ſaporum acervationem peſtiferam, pernitioſa condimenta, cœnas dubias; quæ omnia, & mortem accelerant, & magnas morborum cohortes invehunt. Hæc ſunt artis operoſæ mala, ſimplicem Naturam nunquam imitantis; quæ quidem Natura omnibus cùm obvia ſit, pluribus tamen eſt invia, ſoli pervia ſapienti. Is rebus ſublunaribus commodè utitur ad ſalutem, qui ubique agnoſcit Naturam, ubique ſequitur; undè, quæ illi omnia facilia & expedita, cæteris ardua, perindè ac adverſo nantibus flumine, & contrà nitentibus. Innumera hominem infeſtant mala à Naturæ ſemitis aberrantem; error in novos errores præcipitat, ex quibus emergi non poteſt, niſi unâ duce Naturâ. Tenenda igitur via cum ſapiente,

quam illa præfcribit, nec ab eâ declinandum. Hâc fiquidem duce errari nullo modo poteft; quæ ità femper adjunctam habet voluptatem, ut nihil quidpiam velit, quod rationi repugnet, immò illa fæpiùs ad virtutem inclinat ac dirigit; Natura enim prima pietatis eft magiftra. Homo pius, juftus, fapiens effe poteft, fibi aliifque benignus: nempè id habet à Naturâ, ut ex hoc afpectabili mundo, & eorum quæ quotidiè in eo oriuntur & occidunt, varietate, pulchritudine, ordine, Deum ipfum poffit agnofcere, hujus univerfitatis authorem; ut fe diligat, confervet, omnia in corpore & animo perfecta effe velit, omnibus expleta virtutibus, ut fe natum arbitretur ad alios juvandos, tutandos, confervandos, quià ipfi funt fimiles, & ejufdem univerfi partes. Illi igitur plùs fidas quæ fapientiffima eft, cui debes vitæ, fanitatis, virtutum femina, & fundamenta: fic faluberrimè vives, fic dominaberis aftris.

Ergò fequi Naturam ducem, faluberrimum.

Domini Doctores difputaturi.

M. Ludovicus-Francifcus du Tal, Pharmaciæ Profeffor.

M. Claudius Berger Medicus Regis ordinarius è Regia Scient. Acad. & in horto Regio Chymiæ Profeffor.

M. Antonius le Moine.

M. Michael Ludovicus Reneaume de la Garanne Profeffor, & Regiæ Scientiarum Academiæ focius.

M. Philippus Bernardus de Bordegaraye rei Herbariæ Profeffor.

M. Guydo Crefcent. FAGON Regi à fanctioribus confiliis Archiatrorum Comes & Regiæ Scient. Academiæ honorarius.

M. Raymundus Jacob Finot.

M. Jacob. Simon Gilles de la Riviere.

M. Jacobus de Bourges.

Proponebat Lutetiæ JOANNES BAPTISTA LE BRETHON, Peronnæus, Baccalaureus Medicus. A. R. S. H. M. DCCXI.

PARISIIS,
Typis Viduæ Francifci Muguet, Regis & Facultatis Medicinæ Typographi. 1711.